



80
EXTREMI HONORES

*Matronae ab antiqua ZERSIANI generis
nobilitate praecipuarumque virtutum splen-
dore illustris*

DOMINAE

CATHARINAE

A KOSPOTH,

Hereditariae Dominae in Seubtendorff & Wollffis ꝛc.

DN. FRIDERICI^a KOSPOTH,

Toparchae in Seubtendorff ꝛc.

Serenissimorum Saxoniae Principum
intimioris in Camera Vinariensi Consiliarii, il-
lustrisque Illorum Regiminis, nec non Curiae
Prouincialis, quae heic est, Praesidis eminentissimi,
summique Capitanei Jenensis B^m. M^r.

RELICTAE VIDUAE,

Anno Christi clō Iōc LXXVI. d. X. Octobr.
pie placideque defunctae

a

Fautoribus, Amicis, Cultoribus
Jenae, ipsis exequiarum solemnibus
d. XII. Novembr. A. R. O. clō Iōc LXXVI.
decreti.

JENAE,
Literis NISIANIS.



T *Mosis superans metam, & Natæ Phanuelis*
Proxima ad ætatem, hinc molliter ossa cubat,
Nobilium Matronarum, KOSPOTHIA, summum
Et decus, & sexûs gloria summa sui.
At, Quidnam hos Functæ vitam protraxit in annos?
Quarti Præcepti, credito, cura sacri.
Namqve, ut ad extremum rarâ Pietate calebat:
Sic hic, sic istic, rara brabæa tulit.

Ita testor,
Animæ Nobilissimæ Matronæ Curator,
in agone beatissimo proximus,

M. Theophilus Colerus, Superint. Saxo Je-
nensis Generalis, & Consist. Duc. Assessor.

E *Sto modus lachrymis. Nam mater vestra, Patroni*
Summi non cecidit, sed super astra viget:
Ipsi nunc bene fit ibi; Nullò pondere pressa
Latatur. Felix quem capit iste locus!

Adposuit condolens

Hieronymus Mühlpsfort / J. U. D. Illustr.
Regim. & Cur. Prov. Sax. Advoc. Ordin.
Sen. & Consil. Hoenl.

T *Empus, maturas instat, quo Vinitor uvas*
Pressat, & annosâ vires ex vite novellas
Excitat, hinc dulces generosa dat uva sapes:
Nostra bibit mortis, Defuncta, ad prela, sed inde
Dulcius illa bibit: Prelis elisa falernis
Pocula in Elysio fundentur Nectare plena.
Vitis traducibus plantis, hæc germina Trina
Propagavit, at unum, unâ mors invida falce
Pressit: Quod superest, melius propagine germen
Respondere ut det binum, peto, Trinus & Unus.

Nicolaus Michaël Gimmel / D.

J. J.

In obitum Nobilissimæ Matronæ

DOMINÆ KOSPOTHIÆ

V *Erenda dum Matrona sic interfuit*
Vivis, profecto magna prestitit Jena;
Utinam diutinum magis Parca addere
Filum sategerint! Honestatis jubar
Cultum DEI per omnem amavit terminum
Irrisum opus multis Ei arrisit tamen.
Dare Indigentia, beatum censuit:
Nullò modò corrupta fucò, Candida.

Cl-

Clarum decus virtutis, atque splendida
Imago Cælo nunc recepta, quo data.

Debitum lugendi officium declaraturus leve hoc
carmen transmisit

Adrianus Beierus, D. & Cur. Prov.
Saxon. Advoc. Ord.

Quæ pietate suam multos produxit in annos
vitam, nunc cædit Parca, Charonque vehit.

Quamque decus terræ reputarunt, Incola Cœli
nunc decus astrifero gaudet adesse polo.

Ipsa cohors Genitum, gaudent, mentesque beatæ
tantam quod tulerit reproba terra stupent.

Gaudia nunc Illis, lacrimas tulit ILLA Relictis
& qui sat norunt quid pia vota queant.

Lilia cum violis busto lætissima crescant,
Terraque relictis non onerosa fiet.

Condolentia & in Illustrem familiam debite ob-
servantia ergo adposuit.

Adolphus Christianus Schelhafe/D.
& Cur. Prov. Saxon. Advoc.

D. M. S.

SISTE. VIATOR.

CLAUDITUR. HOC. TUMULO.

PARTEM. QUA. MORTALIS. ERAT.

QUÆ

DOTES. CLAUDEBAT. EXIMIAS.

FOEMINA.

STEMMATIS. PROSAPIA. NOBILISSIMA.

ET. OPTUMA.

SED.

PIETATE. VIRTUTUMQUE. SPLENDORE.

NOBILIOR. MELIOR.

VIRGO. CASTA. UXOR. PIA. MATER.

FELIX. ET. ILLUSTRIS. VIDUA.

PROBA. AC. CONSTANS.

FOEMINEO. CORPORE. ANIMUM.

GERENS. MASCULUM.

GRATA. OMNIBUS. SED. MAGIS. GRATA.

DEO.

EREPTA. MORTALITATE. SENIO. TRANQUILLO.

EXULCERATIS. TEMPORIBUS.

D. X. OCTOBR. A. O. R. CLO. IOC. LXXVI.

SPIRITUS. IMMORTALIS. INEFFABILI. JAM. FRUITUR.

SALVATORIS. AMPLEXU. SANCTORUM.

CONSORTIO.

TU

FLORES. SPARGE. VIATOR.

ILLUSTRIBUS. FILIIS. BENE. PRECARE.

SIMILEM. EXITUM. ASSIDUUS. MEDITARE.

ABI.

H. M. L. M. Q. P.

DAVID GERBER, D.

A 2

Quam

Quam GENUS & PIETAS æterna laude coronant
Hanc rapuit rabida mors properata manu.
Hinc, quod Nobilitas nec magni Numinis ardor
Conservent vitam, candide lector habes.

Condolentia testanda ergo apponebat

Johann. Georg. Klein/ J. U. D.
& Duc. Sax. Præfectus Jenæ.

Efertur Pietas bodiè, orborumque Patrona,
Fax Matronarum, plangite Pierides.
Vivere sexcentos annos quæ digna fuisset,
Heu! deplorandâ morte perempta jacet.
Ossa quieta precor, gelidis licet obruta arenis,
Vermibus infestis esca futura sient;
Mens suscepta tamen superùm felicibus arvis
Dulcia tranquillis otia rebus agit.

*Pauca hæc condolentiz testandæ causa
adposuit*

Joh. Justinus Mühlpsfort/ U. J. D.
& Cur. Prov. Sax. Adv. Ordin.

Rara avis in terra est, CATHARIS, tot dotibus aucta,
Quam GENUS & VIRTUS enthea nobilitant.
Hic tamen ILLA fuit, (fuit heu!) KOSPOTHIA Nostra,
Sardonychos vincens moribus egregiis.
Sat vixit, quæ sic vixit, quò vivere possit,
Nunc cœlò seclis innumerabilibus.
Est erepta malis, CHRISTO perchara, recepit
Hic ILLAM angelicis inseruitque choris.
Hujus & optatam carpunt nunc membra quietem,
Inclyta mens petiit pulchra theatra poli.

Sympathiam visce testari lmq. vol. deb.

Felix Spitz/ D.

Vita fuit prolixa satis, prolixior illa
Quin fuerit pietas, est dubitare nefas.
Utrâvis prolixa magis Tua gratia, Cœlum,
Gratia, qua cœli tecla tenere dedit.

Joh. Otto Dorst/ D.

Was ist das Leben doch? ein Au/ darinnen schwebet
das Glück und Unglück alle mahl/
mit stets verkehrter Wunder Zahl.
Das ist ein hohes Ziel/ wer achzig Jahr. erlebet;
weil dieses vor der Zeit verdürbt/
und öftters in der Wiege stürbt.
Doch selig wer bald stirbt! denn so bleibt er nicht lange
auff diesem Noth- und Jammer- Meer
das niemahls ist von Sturme leer.
Es schloß/ es hagelt da/ und macht uns also bange
daß wir vor solche grosse Pein/
uns wünschen. oft nur todt zu seyn.

Sie

Sie hat HochEdle Frau nun glücklich angelendet/
nach dieser langen Wahlfarts-Zeit/
an jenen Port der Ewigkeit/

da wir noch leben hier; wohl dem/ der also endet
den Lebens-Lauff/wie Sie alhier
der kan die güldne Cronen-Zier
so JESUS Hand gewürckt/ auff seine Stirne setzen
mit recht verfürter Lieb und Lust/
ergößen sein' ermattete Brust

Und darff ihn nicht wie uns/das falsche Gift verlegen.

Dieses setzete aus schuldigster Pflicht der seelig
Verstorbenen zum Gedächtnis

Johan Schlem/ S. Sächs. Hof-Pr.
Superint. und Consist. Adressor.

Madrigal.

In Wandersmann/der weit zu gehen hat/
Wie offte wünschet er das Ende seiner Reise
wenn er ist müd' und matt?

Er sehnet sich nach seinem Vaterlande.

Die Seelige hat Ihren Lauff vollbracht/

Sie hat erlanget/was sie vor so oft begehrt/

Bisher in gar betrübten Stande.

Ach Jesu/sagte Sie/wenn geb' ich gute Nacht

den Zeitlichen? wie lange wartest du?

Ach löse auff/und bringe mich zur Ruh/

die Ewig ist! Nun wohl! Ihr Wunsch ist Ihr gewährt.

Dieses schrieb aus mitleidendem Gemühte
in höchster Eil

D. Burchardus Henricus Tilemann, S. Sächs.
Hof- und Regierungs-Advoc. Ord.

HEU CATHARINA jacet, *purò* quæ pectore vixit,
Virtutisque fuit *fœmineæ* speculum:

Hinc *pura* Ejus erit laus; *puraque* fama per ævum:

At mentem capiet *purior* aula poli.

Ergò satis MUNDO, NATIS, SIBI denique vixit,

Vivitat in cœlis jam sine fine DEO!

Hec lugens apposuit

Johannes Bernhardus Griesse/
Phil. & U. J. D.

Æternùm vivit, Virtute & Stemmate, Prole,
Matrona illustris; Mors pia nil adimit.

In honorem & Memoriam adponeb.

Matthias Jessen/ D.

Dum Tibi *supremæ* jam fluxit arena diei

Et vitæ rupit *stamina* Parca Tuæ

Non, *Matrona*, genus *fumosis* nobile ceris

Te nobis reddet, nec pietatis amor.

Nam sic fata ferunt, & irremeabilis unda

Quam vectore gravis cymba Charonte secat.

Jamque Tibi sordent vani deliria mundi,

Teque revertendi nulla cupido premit.

A 3

Euge!

Euge! novâ patriâ Tibi non invita capeffe
Gaudia: Nos fati forte jubente vides.

*Beatis Manibus Matrona antiquissimâ vereque Generosa
Generis nobilitate, rarâque, dum viveret,
pietate, Clarissima lugens pos.*

Johan. Jacobß/ U. J. D.

Seu mereat *Pietas* hac nunquam cedere vita,
Seu cœlo potius, non moritura, frui:
Credite mortales, meruit *KOSPOTHIA* vitam,
Dignior & cœlo foemina nulla fuit.

Joh. Philippus Stevogt, D.

JOVA TRIUNE, JUVA!

Pertæsa humanæ vitæ *MATRONA* quiesce
Molliter in tumulo, qui tua membra capit.
Svaviter in cœli patria *MATRONA* vigesce,
Quam tua mens, Christi sanguine tincta, petit.

Gothofredus Beier, Jenens. Medicinæ Doctor,
Medicus Provincialis Saxo - Vinariens.

Jova Triune juva!

Viatoris & Bonæ Famæ Dialogus.

Dic, *Bona Fama*, mihi, quæ *Femina Nobilis* ortu
Hoc jacet in tumulo? Dic, *Bona Fama*, mihi.
Nomine dicta fuit *Catharina ac Omine*. Utroque
Femina pura modò: *Mundaq;* utroque modo.

Justificata fuit sacrosancto nomine Christi:
In Christum vivâ *sanctificata* fide.

Quò *Catharina* fuit veteri *de stemmate* creta?
Nobilium à Zersén stemmate creta fuit.

Dic *Patris nomen*: *Wolffgangi* nomen Eidem
non abs re quondam contulit unda sacra.

Nobile ubi *Feudum* possedit *Nobilis* Ille?
In Lovenaw. Sedes *Nobilis* Illa fuit.

Oldenburgiaca quò munere functus *in Aula*?
Morum Praefecti functus *Is officio*?

Auspiciò Jovæ cui nam *Catharina* marito
est *nupta* hæc? *Magno digna* *Marito Viro*.

Nobilis Ille fuit, *Fridricus* nomine dictus,
Omine Fridricus *Nobilis* Ille fuit.

Stemmate quò veteri, *divinò munere, cretus*?
Kospotbio. *Stemma* hoc splendet in orbe satis.

Gaudet Kospotbis etiamnum *Terra Thuringa*:
Misna: *Varisca* suis, atque *Borussa* suis.

Quomodo contrivit vitæ data tempora? dignè.
Ut decet antiqua *Nobilitate* satos.

Namque *Academias Germanis* vidit in oris,
discendi cupiens, *Italicisque plagis*.

Jovâ dante, *Redux* quæ munia gessit in *Aula*
de vino antiquum nomen habente suum.

Octo Principibus *Morum* datus *Is Praefectus*,
Quos tibi, *Dux Saxo Jæne*, *Jehova* dedit.

Postea *Majores* est dignè nactus honores:
Cor fidum semper *Principis*, *Osque* fuit.

Aulæ

Aulae Director: Camerae: Censurisque fidelis:
 Ordine Judicii municipalis apex.
 Tum rude donatus tranquillè ut vivere posset
 Illum cum Sala mutat, abitque lubens.
 Audit Salani districtus Arbiter: Arcis
 Incola: jus tribuens unicuique suum.
 Immò perpetuus missus Legatus ad Actus
 Ipse Academicos vixit in urbe diu.
 Quare prolem peperit Catharina hæc Zersia ternam?
 Impare enim numero gaudet & Ipse DEUS.
 Unus Wilhelmus, Fridricus at Alter. Uterque
 Aulas Saxonicas promovet, ornat, amat
 Postuma de Patris & Matris quoque nomine dicta est:
 Nam Patris & Matris vivida imago suæ.
 Quando valedixit Spartæ viduæque Maritus
 Atque sepultus ubi? dic, Bona Fama, mihi.
 Cum sexaginta vitæ compleverat annos,
 Insuper & menses tres obit Is placidè.
 In Templo à sancto Michaelis nomine dicto
 Molliter ossa cubant; Spiritus astra petit.
 Hujus quando Viri Catharina est mortua conjux,
 Quoove sepulta loco? dic, Bona Fama, mihi.
 Post quadraginta completos quatuor annos
 In viduo expirat commoriturque thoro.
 Plura fide in Christum: Mystarum provida Fautrix:
 Annua enim promptè munera misit iis.
 Ad latus, ex voto, sepelitur & Illa Mariti:
 Unum velle fuit, nolleque utrique fuit.
 Ipsius exequiis inter-Gnati ambo fuere
 In Matrem testes de pietate suam.
 Pro, Bona Fama, tuis Responsis dicere grates
 Fert animus. Sed quid rite precaris Iis?
 Defunctæ Gnatis Ambobus Fata benigna
 Comprecor ex animo. Fac rata vota, DEUS.
 In Te nos sumus; & nos vivimus; atque movemur:
 Temporiæ es vitæ perpetuæque dator.

Pauxilla hæc
 in Nobilissima ac munifica MATRONE memoriam & ob-
 servantiam componebat

M. Adrianus Beier, Ecclesiæ Jenensis Archidiaconus
 anno ætatis 77. officii 51. natus A. C. 1600. 9. Aug.

TE, MATRONA, Genus, Conjux & splendida Proles;
 Ac Virtutis honor, nobilitavit humi:
 Ast ubi nunc placidè moriens hæc cuncta relinquis,
 TE stabilis cœli gloria nobilitat.

Debite observantia & condolentia e. currente
 hæc f. calamo,

M. David Lipach / Eccles. Jen. Diacon.
 Adestum

Adesdum Viator & mirare
Quantum bonorum vnica mors abstulerit
Quantum vnicus tumulus incluserit,
Quantum vnica Matrona reliquerit
Posteritatis vel admirationi vel imitationi.
Nobilium fœminarum decus & Splendor

CATHARINA KOSPOTHIA,

Tam generosa natalibus, quam conspicua indo-
le, & venerabilis Senectute

Heic
Morituri orbis funera
Et nunquam moriturae vitae natales expectat,

Quae
Antiqua Stirpe, generosorum de ZERSEN
proles

FRIDERICI a KOSPOTH,

non impar conjux

Vnicae Filiae felicissima Parens
Nisi quod conuersus mortalitatis ordo infelicem fecit.

Sed emendauit natura peccatum
Et duo indulsit masculi sexus sidera,
Quae occidui Patris Saxoniam in Domum merita
Nouo virtutum lumine Collustrantes,
Extinctae Genitrici pietatem praestitere
Quam supremam potuere, & de nepotibus iterum merentur,
Clarissimum semper & vbique virtutis speculum
vt generis humani oculis diutius obuersaretur,
Integrum ferme seculum vixit.

Tamdiu enim oportet viuere,
Quae singulis vix seculis nascuntur.
Exempla virtutum non pauciora dedit posteris,
Quam a maioribus accepit

Inque tanto Decorum fastigio absque omni fastu,
Tam in Paupertatem vbique benefica fuit,
vt largiretur promptiore manu, quam rogaretur,
Auaritia nullum tetrius vitium existimans,

Quod sciret angusti animi esse
Et nihil magis dedecere magnas animas.

Adsta viator & luge:

Has iacturas in vnus fecimus iactura.

Abi viator & ad simile fatum propera,
Quodque vltimum vel dolentis vel sinceri pectoris munus est,
infelix lacrymarum vectigal
justum elogii Tributum

exsolue

Sympathiae Monumentum

C. Gvil. GRAI.



